

DEDICATIO.

ut si hanc hyemem è manibus dimitterem, halcyonia,
quæ hactenus per DEI gratiam experior, eriperentur,
adeoque imperfectum relinquere necesse haberem, quod
ut perficeretur tum mea promissa, tum amicorum mo-
nita, tum denique multorum commoda exigebant. Hoc
vero quidquid est laboris, Vir Generose, inclytissimo
tuo nomini nuncupare volui, ut extaret ex me ad
memoriam posteriorum aliquod ingentium tuorum in me
beneficiorum, & me & in te qualiscunque obseruantiae monu-
mentum.

Nam quia calamum nunc appendo satur, ita ut
emissa jam mea encyclopædia, & methodo Theologiae
plene tractata, deinceps nihil cogitem scribere in publi-
cum, sed totum vitæ tempus in meditatione & exer-
citatione perennis sapientiae, que in Scripturis contineatur,
tradicere; volui hunc ultimum ingenij mei fætum patrono
meo non ultimo inscribere.

Quod quidem eo feci libertius, quia videor mihi in
promptuario concionum ea complexus esse, quibus grauis
tua etas & que ac mea stata possit preparari ad vitam il-
lam cœlestem, que nobis in hac militia proposita est me-
ta & brauium, atque adeo regula omnium nostrarum a-
ctionum.

Accipe itaque, Vir Generose munus, quod magnum
est effectu offerentis, & rerum, quas continet, effectus
longe maximum.

Ita